


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-373523-p0001-7

DFG

U. q. 137.2





Hoc volumine continentur Herm.  
Enriqy.

1. Dissertatio de studijs liberalibus urbis Romae enst.
2. Disputatio in Histor. justini
3. De justitia armorum Suecicorum in Polonos.
4. Disp. Polit. et Illaj: cur: auth. & offit. circa Leges.
5. De iudiciis in Reg: recte instituendis.
6. De principiis negotiorum in Comitatu Imp. Germ: fractarii solitis.
7. De Comitatu Imp. Rom. Germ.
8. De Habitibus corporum Germ: antiqui & novi causis.
9. De Imperatore Rom. Germ.
10. De Reg: Hebreorum.
11. De Reg: antiqui vet. Germ.
12. De mortibus & mutat. Oligarch.
13. De mortibus & mutat. Reuum Imp.
14. De conciliis.
15. De Electori bus.
16. De Ducibus & Comitatu hys.
17. De Rebus publ. in Gendre.
18. De Legatis.
19. De ortu & mutat. Regnorum.
20. De boni Consiliarij munere.



3

CYRIACI THRASYMACHI  
**DE JUSTITIA ARMO-**  
RVM SVECICORVM IN  
POLONOS

Perque ea

Liberata à magno periculo  
Germania

AD

ANDREAM NICANOREM

EPISTOLA.



EDITIO NOVA

Juxta exemplar Stetinense.

HELMESTADI

Excudebat HENNINGVS MULLERV

1561.

INDAMYSIT QM  
ONERA LITTA TERRA  
H. M. A. C. D. S. H. I. A.  
2020.04

clarissimus virorum

Rutilius de Roma.

JU STIS BELLO RVM CA VSI S, NEC PACE  
SVPERBA

Nobilis ad symmas gloria venit OPES.



AVOCATI  
LUDVICO  
MATIERAS

CYRIACVS<sup>3.</sup> THRASY-  
MACHVS ANDREÆ NICAS  
NORI  
AMICO SVO  
S. P. D.

Dentidem ex me quæris, Amice, num quas  
ego censeam justificas caussas esse illorum  
armorum, quæ Serenissimus Potentissimus  
que Rex Carolus Gustavus, & Inclytum il-  
lud Suecorum Regnum in Poloniæ Regem  
& Rempublicam hodie movent : an item  
existimem bellum illud Polonicum Germanicæ saluti ob-  
futurum, nec ne. De utroque enim per te dubium reddi,  
varijs in utramque partem hominum sermonibus : non  
posse tamen non sollicitudine quadam duci cum Germa-  
niæ quia patria est, tum Sueciæ, quia haud dubie est Ger-  
maniæ à suis quondam oppressæ liberatrix, & adversus im-  
minentia pericula præsidium. Si videlicet nullæ sint justæ  
Suecicorum armorum caussæ, verendum esse, et si initia fe-  
liciter succedant, exigentibus id forte Polonorum in  
Deum commissis, tandem tamen fatali ruina & illa vindici-  
atum iri, summo pariter Germaniæ dispendio. Adhoc,  
quasi pro lorica fuisse hactenus Poloniam Germaniæ ad-  
versus barbaros populos, Moschos & Tataros : qua fra-  
cta videri nos jam imposterum iri expositos eorum tyran-  
nidi & incurisibus.

Ego vero agnosco animum amantem boni publici pa-  
riter & intelligentem. Non est autem quare te curæ qui-  
dem iste mordeant. Etenim interdum injusta quoque  
arma, (quæ Dei est sapiens humanarum rerum administra-

4

tio, antequam magnus ille & terribiles dies justum sceleribus supplicium decernet) diuturna satis felicitas excipit. Suecorum vero huic bello justificarum causarum, quales solent a populis & inter populos passim acceptari, nihil deficere: ac proinde non esse quod haec tenus quidquam vereare: simul vero, nec fractis licet Polonorum rebus, periculum aliquod a Tataro Moschoque Germaniae imminere, imo ab eo periculo nos hisce armis potissimum liberari, quoniam ita vis, docebo.

Poteras vero prius illud jam tum didicisse, si qua parerat attentione expendisses, quae editae sunt chartae de caussis novi hujus belli. Abunde enim illae exhibent omnia, nisi quod brevitate sint fortassis tardiori cui Lectori non nihil obscuriores. Non vacat tamen culpa, quod illis lectis nondum acquiescas: sed vulgi sermonibus tanquam fluctu circumagi te patiaris.

Attamen, ceu promisi, dabo operam, ne quiste error amplius hac in re agitet; quoniam id postulat amicitia nostra jus, & tua exspectatio. Ordine igitur agam: initio belli hujus justitia exposita; deinceps facto progressu ad id, ut metu libereris de imminentे imposterum Germaniae à Moscho & Tataro periculo.

Nisi autem vehementer fallor, armorum quidem justiciam clare docuero, si ostendam duo: per Polonos scil. non per Suecos sterisse haec tenus, quo minus dudum inter populos illos firma ac perpetua pax viguerit; Polonos perro multis modis induciorum leges fregisse, que sancte haec tenus à Suecis sint observatae, ac proinde culpa sua latissima ante tempus arma hac in se proverasse.

Principio igitur tenendum est, bellum Suecis cum Rege & populo Polonico non demum nuper capisse, sed fuisse jam per annos quinquaginta sex; & quidem perpetuos;

nisi



nisi quod non æque annis omnibus illud ferbuerit, & se-  
mel iterum per inducias aliquamdiu fuerit quasi suspen-  
sum. Originem belli non Sueci sed Poloni dederunt. Nec  
enim Suecorum aliquis antehac unquam Polonorum  
quenquam læserat, multo minus rem publ. eorum aliqua  
affecerat injuria, donec Sigismundus infestis armis, ad-  
jutus valida Polonorum manu, patrium Sueciæ regnum  
anno 1598. adortus est. Infeliciter quidem conatus ille ces-  
sit Sigismundo ejusque auxiliariis, imo cum non desineret  
injuriarum, ab Ordinibus Regni Suecici, quos penes jus il-  
lad erat, proscriptus ille est anno sequente & Regni illius  
dignitate exutus, neque deinceps recuperare quidquam  
perditæ auctoritatis potuit: moliri tamen nunquam desir-  
cum suis Polonis, clam palamve, prout vires ferebant,  
quo Regni Sueciæ statum subverteret.

Non repetam Carolo Rege hinc inde gesta. Simul  
gubernaculo Regni est admotus Gustaphus Adolphus, non  
multo post iterū more suo classicum cecinit Sigismundus:  
multum profecturus, nisi nondum Russico bello solutus  
sueta sibi imprudentia fuisset rem aggressus, & in Sueciæ  
populo viguisse patriæ amor novoque Regi data fides. A-  
gebatur tunc annus seculi hujus decimus sextus. Recitabo  
tibi illius molini historiam, non meis, non alterius, forte  
suspecti aut non satis rerum gnari testis, sed scriptoris Po-  
loni verbis, quo minus dubites. Est ille Paulus Piatecius  
gente nobilis Polonus, dignitate primum Abbas Claræ-  
tumbæ, inde Episcopus initio Camenecensis mox Præ-  
misliensis, Regnij Polonici senator, cuius prudentiam &  
candorem loquuntur quæ edidit Chronica. Is cum fecis-  
set verba quædam de Comitijs Regni Polonici Ordinum,  
anno isthoc quem dixi habitis, pergit: Subsidia quoq. Sigif-  
mundo Regi pro recuperando Regno Sueciæ fuerunt promissa. Ad

a 3.

hoc

hoc enim ille animum tunc magis quam unquam alias applicaverat, persuasus quod, dum Gustavus Rex adhuc esset aetate immaturus, facile ab eis obsecro Sueci possent avocari. In quo negotio miserat quod ad Regem Daniæ suum Legatum Joannem Veiber Praefectum Pucensem, postmodum promotum ad Palatinatum Culmensem, ut illius animum tempestive adjuvandas partes suas fletteret. Nec vana erat talis conjectura, cum iste studia popularia nec dum sibi devinxisset, & plures ibi adessent, qui illatas sibi a Carolo eis Patre injurias aliqua occasione vindicare cuperent: se modo Sigismundus Rex tali opportunitati rei benerenda consilia cautoria conjunxit. Verum omnia intempestive, præpostere, ac magis ad præmonendum hostem siebant. Nihilq[ue] de istis cum Consiliariis Polonis conferebat Rex, sed cum Suecis ac Germanis tantum, qui pauci, illique rerum & presertim belli ducendi inexpertes in eis Aula aderant. Michael Adolphus Comes ab Althein, (qui etiam sub hoc tempore instituendo novo ad debellandos Turcas Ordine militum speciosius quam utilius laborarat) præcipuus belli illius arbiter in se receperat, quod 20 millia militum Germanorum conscriberet, & classe in Sueciam transporzaret, qui tamen nullum experimentum comparandi exercitus, vel conqueriende classem habebat. Et nihilominus expeditionis istius moderatores, presertim Franciscus Tenagel, (carcerem & tormenta à Maximiano Imperatore propter arcana Rudolfi Imper. perpessus) quem Rex Sigismundus Cancellarium Suecia renunciarat, ac Gabriel Poëc Suecus, illo bellico apparatu ab Altheinio promisso fretri, (quasi exercitus in procinctu haberetur) bellum in Suecia divulgariunt, typi impressis Regis editis per Provincias ibi sparsis, quibus populi illi contra Gustavum, ut illegitimum Regem concitarentur. Ac commoverat hoc non leviter eam gentem, rationesque Gustavi turbasset gravissimas, si ibi adfuerit presto robur aliquod milizare, cuius præstatio parvæ Sigismundiana fuit & sic crescere potuissent. Sed cum illæ copia & classes Altheinii nusquam apparerent, omnes earum parti-

MM VEN



am veriti exemplum, quod ibi tempore Caroli Regis multos simili-  
bus Regis Sigismundi consilii confusos frustratosq; perdiderat, se-  
se à novandis rebus continuerunt. Gustavus quoque tali prænun-  
tio admonitus, tempus longum habuit, ut in singulis Provinciis fide-  
liores sibi rectores institueret, qui diligentius omnes hostiles cona-  
tus observarent, & Patrem imitatus, prævenire periculum malitie,  
bellumque indaxit in Livoniam anno subsequentem.

Hæc Piascius. Narraverat ille jam tum ad annum  
1613 nonnulla de Sigismundi in Sueciam molitionibus, in  
Comitiis Warsaviensibus, frustra tamen, agitatis. In recu-  
peratione, inquit, Regni Sueciae subsidium à republ. tantis angustiis  
pressa sperari non poserat: insinuarum tamen fuit, us ad monentur  
Ordines, quod Moschua, unde Rex in Sueciam divertere proposue-  
rat, amissa, averteretur quoque tanta rei bene gerenda pro vin-  
dicando illo Regno occasio, & bellum quod inde Livonia immineret,  
meliori compendio Moschovicarū virium averti potuisset. Narrat  
idem in descriptione rerum anno 17& 18 gestarum, expe-  
ditionem Suecorum, classico Sigismundi excitorum, in Li-  
voniam duce Fahrenbachio institutam, ejusque proditione  
post corruptam: ut &c, quemadmodum majore felicitate  
ipse Rex Gustavus Adolphus anno 21 in Livonia Rigam  
occupaverit, anno autem 23 Sigismundus nova clam agi-  
tarit consilia de transferendo in Sueciam bello, quæ Gu-  
stavi adventus turbaverit. Sed hæc nihil ad rem nostram,  
eoque non est quare hoc loco repetantur.

Quamvis vero omnia infeliciter Sigismundo ac Po-  
lonis, Gustavo autem Adolpho Regi ex voto quasi cesse-  
rint, non tamen Gustavus Adolphus Rex Regnique Sueci-  
ci Ordines pacem Polonis offerre æquis conditionibus jam  
tum anno 23 omiserunt. Non dissimulavit hoc Piascius.  
Verba eis hæc sunt de Rege Sueco: *Præferebat ille runc,*  
*quod ad tractandum pacem inclinaret: sed tam importune, absq;*  
*praga-*



preparatione, cum hoste tam superba ostentatione rumente, tractare, indignum videbatur. Stabat in achoris nimirum prope Gedanum Gustavi classis, excita illo rumore de traducendis armis in Sueciam; impar erat gerendo bello Sigismundus, & tamen *indignum* scil. Polonis visum pacis oblatæ consilia agitare.

Sequente anno 24, irritis Comitiis Warsaviensibus, ob populi Polonici dissidia, et si summe tenues essent Polonorum vires, Suecorum interim res in Livonia florarent, rursum pax Polonis oblata fuit, sed frustra. Dabo iterum testem illum Piasecum. In privatis, ait, colloquis Proceres, maxime Lithuani, Regis suadebant, ut consideret quod populi totius Regni bellis præteritis exhausti, ad vocem iribuzi sumptusq; bellè eos subministrando induruerant, eaq; bellum Sueicum difficultius duci posset: potius honestis mediis cum illo hoste transigeret. Ac proponebant conditiones pacis non indecoras, quas fidissimi Gustavi Regis Sueci familiares suggesterant: nempe ut restitutare regno Polonia Livonia, universam Esthoniam & Finlandiam cum spe successionis in regno Suecia, si Gustavus decederet sine prole mascula, unus ex filiis Sigismundi Regis haberet: titulo quoq; Regis Suecia Rex Sigismundus uteretur, dummodo Gustavus cum eodem titulo Regio Regnum Sueicum secure teneret. Sed nihil profecerunt.

Anno 25 denuo pacem perennem, vel saltim longas inducias Polonis Sueci, florentissimis rebus, obtulerunt: iterum vero rejecti sunt à Polonis. En testem tibi illū eundem Piasecum. Præcipuum inquit, deliberationum Comitialiū caput fuit de bello cū Suecis Livonico: ad quod istud Inducia ad mensē Aprilem proximum stabilitate finirent, majores vires apparabant. Nec induci poterant ad prorogandas illas inducias in tractatu interim super hoc habito, nisi Rex Sigismundus eas longiores, nempe in multos annos esse veller, vel Suecia Regno se abdicaret, pacemq; faceret perennem. Et majores illi sumperferant animos,

cum in-



9

cum inaudissent in Conventibus Terrarum (qui antecedere solent Comitia Generalia) Polonia & Ordines à bello abhorrente, suisq; Nunziis ad ista Comitia mandata dedisse, ut nulla tributa pro impensis belli illius concederent, quibus Regem Sigismundum destitutum, etiam iniquiores conditiones pacis suscepturnum Sueci sperabante. Nec eos feliciter conjecturo quoad tributa; exigua enim fuerunt concessa & que vix debito in præteritis expeditionibus contracto exolvendo sufficerent. Sed tamen Rex leges pacis aut induciarum ab ipsis propositas nonprobavit: quamvis Proceres evidenteribus argumentis reliqua Livonia jacturam & majora Reipublicæ incommoda inde nascitura demonstrarent.

Vindicavit tam iniquam repulsam Deus, & illo quidem anno omnem Livoniæ, excepto uno Dunemundo sequente magnam Prussiæ partim, donavit felicibus Suecorum armis; Iaroslaviam quoque urbem, penu locupletissimum totius Poloniæ, subito incendio perdidit.

Interea tamen Gustavus Rex tractatum pacis instaurauit præter, teste eodem Piascio pag. 385 (utor editione Batavica) imo anno 27 per Legatos Hollandicos vel pacem vel triginta annorum inducias amplissimis conditionibus offert Polono, sed, ut ante hac semper, frustra. Audi quæso narrantem & hoc Piascium. Legati Hollandici sic abruptum de pace tractanda colloquium, adveniente ad castra Rege Sigismundo Mensē Septembr. iterum instaurarant, & prope ad optatum finem perduxerant, admittentibus Proceribus Polonia, Regemq; sūum pro tranquillitate publica deprecantibus. Tanto magis quod Gustavus omnium ablatorum restitutionem offerret, preter Rigam, quam ad plenam super iure successionis in Regno Suecia, duranribus triginta annorum inducitis, faciendum decisionem, retinere voluerat. Sed totum illud negotium pene maturum, everit nova Regi de recuperando Regno Suecia & ses injecta ab Austria, quorum intentus erat, ut Gustavus bello Polonico disineretur & à

B

Germa-



Germanicis rebus averteretur. Ad finem enim tractatum, cum postridie pacis leges concludi & publicari debuissent, ad venerat cum Stanislae Rakowski ab Hispano Rege missus Gabriel Roy, & paulo post ejus collega Baro de Auchi, qui promisit quod intra duos menses Regis Hispania impensis, classis virginis qua-  
ruor navium bellicarum insinu Balticu comparanda esset, eis imponendi duodecim mille milites, à Valsfentio jam ad hoc destinati, in Sueciam trahicere, ibi quod sedem belli figere deberent, ac impensis Regis Hispania sustentari, donec bellum duraret: Ad quod ducenta milia talerorum Imperialium in collybis se habere prompta dicebat. Tam speciosis itaque, promissis confisus Rex, inducijs pro Re-  
gno Sueciae, quod vivens illis auxiliis recuperare maluisse longiori-  
bus subscribere renuit, & rebus infectis Varsaviam rediit ad Co-  
mitia Regni.

Delusus fuerat ab Hispano Sigismundus, adhac classem novem instructissimarum navium perdiderat, Gustavo contra pleraque feliciter successerant; hic tamen promptus fuit ad acceptandas inducias, interventu Galliae & Angliae Regum, ex usu Poloniae potius quam suo anno 29 pactas, Sigismundus vero perdifficilis. Diserte idem te-  
statur Piafcius; Regem talem pactionem improbase. Exora-  
sus tamen, addit, à Senatu, ut bellum illud tam difficile ad felici-  
or a reipubl. tempora differret, eam suscepit, approbarique publico  
Ordinum decreto permisit. Audi vero sodes & Stanislaum à Kobyzycko Kobierzicki, Castellanum Gedanensem, florentissimum historiæ Vladislai Principis scriptorem,  
Verba ejus hæc sunt l. II. pag. 926. Tandem bellum illud Pra-  
zenicum quod ultra quadriennium gestum erat, induciis in quin-  
quennium stabilitis conquievit. At Rex Sigismundus difficulter  
in eas consenserat, & ante multoties sollicitatus ab Ordinibus, us  
bonestis, quas offerebant Sueci conditionibus, vel perpetuam, vel  
plurium annorum termino circumscripatam conficeret pacem, neve  
rempubl.

tempubl. molesto implicaret bello, vunquam adduci potuit; sive in-  
jecta ab Austraciis ultra modum memor tenax, quam illi ad re-  
cuperandum patrium regnum fecerant, Multa alia idem il-  
le landato ante loco narrat, cuæ luculente docent, quan-  
tum inhiarit etiam tum Sigismundus vanis Hispanorum  
promissis, de invadenda Suecia: plura forte additurus, nisi  
illum classis Hispaniæ, quam Hollandi post Trompio duce  
deleyerunt, consilia latuissent.

Tertius infecutus annus Gustavum pariter & Sigis-  
mundum extinxit. Nemo tamen non facile videt, quam-  
diu quidem Gustavus potius est rerum, per Polonos ste-  
risse solos, quo minus firma pax inter utrumque regnum  
coicerit. Eluxit sane idem studium pacis in Gustavo, et  
iam defuncto jam Sigismundo, quod ad Polonicum Sena-  
tum interregni tempore missò Legato, studiose illum mo-  
nuerit ea agere, quæ imposterum paci componendæ pos-  
sent prodere. Narrabo & rem illam verbis Piasci qualia  
habentur pag. 452 Orator (inquit) ille repetitis longo tempo-  
rem ordine principis cultæ Polonis cum Suecis amicitia, eandem  
fate malo interruptam, cùmjam inquit, obicemors removerit (Si-  
gismundum Regem innuebat, ne verbo tamen cum laeti aut nomi-  
navit) facile reconciliari posse, Suecorumq; studium ad hoc non  
defore afferebat. Iteratisque Orationis sue argumentis perjua-  
dere conabatur, ut Ordines dum sui juris essent, & priusquam Re-  
gem eligerent, ea omnia, quæ reconciliationem hujusmodi pacemq;  
tractandam impeditrent, tollere sinderent. Nempe ut non elige-  
rent Reg. m ex Regis Sigismundi filiis, nisi prius isti renunciasent  
hereditati Regni Sueciae: quod unicum ipso renovanda cum Regno  
Poloniae pace perpetua Seucus Rex exposcebat. Ressonditq; ei Ar-  
chiepiscopus ac Marischallus Equestris, Rem publicam à pace justa  
& honesta non abhorrevit, & circa electionem Regis ea quæ Re-  
publica futura essent, curare velle. Tandem anno 35 pacis

funt Stumdorfanæ postremæ induciæ in annos sex & vi-  
ginti. Etiam tum vero Sueci pacem maluisserent: impe-  
diverunt autem Vladislaus Rex ejusque fratres, quibus  
corum favor potior fuit quam salus publica. Diserte Pi-  
asecius pag. 480. *Et quidem propositum omnibus erat, universas*  
*inter haec Regna controversias sōpire, solidamque in perpetuum pa-*  
*cem stabilire.* Sed cum Rex Vladislaus cum suis germanis fratri-  
bus, uti Sueci requirebant, tirulo Regis Suecia, & jure hereditaria  
successionis in Regno Suecia abdicari (licet hoc circa suam inaugu-  
rationem Polonis syngrapha secretiori caverat) omnino noller;  
non nisi induciæ ad annos viginti sex, nempe ad undecimam mensis  
Iulij diem, Anno Christi 1661 fuerunt stabilitæ. Imo ipsæ illa-  
rum induciarum leges pacis studium in Suecis manifestum  
fecere. Reddiderunt enim hi Polonis Elbingam, Ma-  
riæburgum, Dirsaviam, Brunsbergam, Pilaviam, & in uni-  
versum omne quicquid Prussiæ occupaverant, sola Livo-  
nia sibi retenta; simulque pepigerunt, ut durantibus indu-  
ciis semel atque iterum de pace componenda ageretur

Nec vero etiam illas de pace tandem aliquando constitu-  
enda tractationes Sueci, quantum in ipsis fuit, intermis-  
serunt. Bis magnis factis sumptibus, & corrogatis hinc inde  
Mediatoribus, Legati Lybecam illi fini missi sunt. Advene-  
re quidem & Polonici. Sed hi primo statim congressu non  
dubitарunt producere tabulas plenipotentiales, quas ap-  
pellant, non tantum multis vitiis refertas, verum tales et-  
iam, quibus Polonus Rex Sueciæ Regem sese diceret, atq;  
ita Regnum Sueciæ sibi palam vindicaret. Vetus id  
omne diserte erat legibus nuperis induciarum, atque adeo  
ne quidem salvis induciis id licebat; quei potuit hoc ergo  
tolerari cum de componenda pace ageretur? Nonne a-  
perte illud nudavit, statim circa initia, à pace alienum ani-  
mum? Serio moniti Poloni Legati à Legato Galliæ Regis,  
nego-

Negotiorum pacis mediatore, agnoverunt etiam ipsidelium, polliciti intra tres quatuorve hebdomades, emenda hae culpa, novis tabulis justo Suecorum Commissariorum desiderio se satisfacturos. At quid sit? Abeunt dies, abeunt hebdomades indicia, magna suptuum, maxima temporis jactura. Conventi iterum Polonici Legati, postremo affirmant: non se fuisse ausos Regem suum de omitendo titulo Regum Suecia compellare. Non temere quidem id crediderit haud nescius, quanta procerum Polonorum in Regem sit auctoritas. Esto vero. At si Rex contra pacata conventa ne titulo quidem illo voluit abstinere, & si Commissariis ejus certum fuit, hoc etiam indignum facinus approbare, nonne liquet Polonis studium pacis, tum sane, ne quidem fuisse cordi?

Frustraneum hunc de pace primum congressum except non multo post alter. Etsi enim justa indignatione moti Sueci potuissent secundum conventum Polonis denegare, noluerunt tamen in se quidquam desiderari eorum quæ ad pacem reducendam faciunt; quo tandem aliquando quieti publicæ Regnorum consuleretur. Legati Suecici exhibuerunt suas quas vocamus plenipotentias. In ijs nemomus quidem aliquid quod reprehenderet, potuit inventire. Polonorum vero tabulae inscriptum quidem illum titulum non dederunt; in sigillo tamen & Regni Sueciae insignia pariter & Regis Sueciae nomen aperte præ se tulerunt. Quod est altera manu lapidem altera pacem porrigit. Et vero hoc quoque ludibrium ipsis induciarum legibus receptisque moribus adversari, agnovit ipsemer Zadzechius, caput Legationis Polonicae regnique magnus Cancellarius; agnoverunt Angliae pariter & Fœderatorum Belgico-Germaniae Ordinum Legati, pacis tractatum futuri mediatores. Questi hanc novam injuriam

quidem sunt Sueci & quidem jure merito; paratos tamen  
se ostenderunt non modo ignoscere & huic culpæ, sed  
exspectare Lybecæ emendationem, quo integris tribulis  
procuratoriis tandem aliquando sanctum pacis nego-  
cium liceat aggredi. Ursurpunt illam emendationem  
Moderatores etiam atque etiam. Frustra & hæc omnia.  
Post longam tergiversationem responsum denique est à  
Polonis: *Regem suum Cosackis debellandis occupatum vix  
admissorum sigilli mutationem: ut ergo id persuaderi posse, non  
tamen ibi in promptu fore artificem sigillis sculpendas idoneum.*  
Quasi vero ingens opus sit sigillum sculpere, & si non in  
castris, tamen in vicinis oppidis desint id qui præstent.  
Ita denuo Polonicum Regem suo, ne id quidem, quod paci  
componendæ ceu fundatum ex pacto jam substra-  
tum erat, ratum habentes, adversum paci animum palam  
præfesse ferre haud sunt verecundati.

Paulo antequam Regni aviti sceptra in usitato exem-  
plo deponeret Serenissima Christina, advenit quidem  
Holmiam Legatus à Polonia Rege missus ad Reginam  
Canazilius, affirmans Regem Reginique Polonia Proceres,  
suos Legatos plenipotentiis exacte instructos in Sueciam  
missuros, qui de pace transigerent: Sed quis prudens  
non advertit, tantum in speciem hoc actum, non serio,  
post elusos binos illos per induciarum leges indictos so-  
lemnes de Pace congressus? Imo quis non suspicetur ali-  
quid monstri Legationem illam aluisse; utpote quum ipso  
illo tempore novanda esset Regni Suecici administratio,  
quam sibi uni jure deberi Rex Polonus noluerat hac tenus  
vel leviter dissimulare?

Pro candore suo, & qua pollet, animi generositate,  
non potuit hoc noviter tum constitutus Rex Serenissi-  
mus Carolus Gustavus dissimulare; nec tamen etiam ita  
ipse

ipse desit, ad seriam de Pace tractationem vel tandem aggrediendam, Redem Proceresque Polonus invitare. Hinc per ipsummet Regni Sueciæ Magnum Cancellarium, ut senio gravem ita meritis longe Illustrissimum, Oxenstiernam, Canizilio jussit responderi. Se quidem teneri singulari desiderio componendi iſbāc diurna & cruenta utriusq[ue] Regni diſſidia: sed antecedentium temporum uestigijs admonitum vereri merito, vel eadem qua hactenus data sunt ludibria & injurias, vel rerum inania & elusorias procrasfinationes. Nec vero fas esse aut satis ex decoro, perinde ut factum autehac: postulandis mediatoribus molestiam Regibus & Principibus exteris creare; ſpecioſo apparatu quaſi maxima acturos in conspectum orbis prodire, at mox obice agendis rebus injecto discedere. Quo ludibrium vicinis gentibus, inter Regna pacanda mutuas ſufficiōnes, animi conciliandi ad magna odia commoventur. Induciarum legibus per binos, et si irritos, congressus, à parte Suecia abunde effe ſatisfactum. Cumprimis eo, quod Regis Poloniae ludibriis ſemel iterumq[ue] in primo Lybecensi conuentu Suecia ignoraverit. Quod idem Rex ſolemniter per actus primi congressus admonitus, non dubitaverit etiam alterum congreſſum iſdem prope ludibriis rumpere, id vero vel patientiſimi Principis animum ledere. Si tamen etiamnum cordi ſi Polonia Regi pax certa ſolida, & dura-  
dura, pratermis ſi tandem aliquando illis inutilibus praejudiciorum injuriarumq[ue] plenis legationibus, veniret ille & Reſtibl. Polonica per idoneos plenipotentiarios ad rem ipsam pacis, ſine ulterioribus ambagib[us], & quidem veniat cito. Experturos Polonus in omnibus Regiam ſuam equanimitatem. Diſſidia Regorum Suecia & Poloniae alias gentes non rangere. Solo longo annorum decurſu merito effe debere oblitterata. Quo compendiosius eorectius componi omnia. Si non placeat Regi & proceribus Poloniae capaces compoſitio, nihil ſua intereffe. Profuturum tamen, ſi Legatus nullus redcat non fatis munitus facultate componenda pacis, ſin, fore id

ſibi



sibi certo documento, non pacis desiderio, sed quocunque alio potius consilio ambages illas institui. Et vero si pergant Poloni mittere eos Legatos qui se esse orbemq; universum decipient, aut literas iuribus dignitariq; Regni Suecia derogantes, non posse non se esse eos documentis edictum aliud judicare, quam Regem Polonia suscitat habere sacrosanctam pactorum fidem.

Cum hoc acri responso, quod tamen simul seriam ad pacem adhortationem comprehendit, dimissus ad suos est Canazilius. Indubie & Regi pariter & Proceribus Poloniae nihil non horum ex fide ille retulit. Nonne par itaque fuisset, cum alterutrum ut agerent usque adeo serio admoniti essent, vel tandem mittere idoneos compendiae pacis Legatos, vel saltim inidoneis mittendis gliscentes jam suspiciones non fovere, & animos ægros non porro accendere, si Polonis fuit aliquod pacis non futatum studium?

Verum hisce etiam omnibus habitis insuper, advenit Holmiam superiore hyeme ex Polonia missus Ioannes Morstenus, non instructus facultate componendæ pacis, sed quantum præ se ferebat, paratus tantum præliminaria, quæ dicuntur, circa locum & tempus futurorum de pace tractandum. Directe hoc adversabatur illi per Canazilium dator responso Regio. Iustus ex more, antequam admittetur Morstenus, apographum fiducialium literarum exhibere, produxit tabulas, in quibus etsi utriusque Registulis solito rectius fuerit cauum, sub finem tamen numerati sunt Poloni Regis Regnorum anni: vana quidem, occulta nihilominus juris in Sueciae Regnum, ex more consueto, commemoratione. Cumque studiose fuisset inter Reges pacum, de vocula & cetera, quibusdam tituli Regij vocibus adjicienda, omisssam illam esse deprehensum est. Minutias dixeris: at in illis latent grandia, & toleratae

toleratae ad solidas injurias muniunt viam. Posterius sa-  
ne conjunctum est cum tacito Regis Sueciæ præ Polono  
vilipendio ; quasi ille hoc sit inferior. Prius arcum ju-  
rium in Sueciæ Regnum vindicationem continet : rem &  
Regi & Ordinibus Regni Sueciæ neutquam tolerandam.  
Si minutæ sunt, quare per illas Poloniæ Rex pungere Re-  
gem Sueciæ voluit ? Certe etiam hæc arguunt , quam ille  
sit animo à vera concordia alieno.

Morstenius culpam excusare conatus est, incuria scri-  
barum regiorum. Sed quis non videt hoc quam sit fri-  
volum ? Quasi scribis Polonicis solemne sit, errare in solis  
literis ad Reges Sueciæ scribendis. Et vero incuria scri-  
bentium , ab iis , quibus relegere scripta in officio est, qua-  
re emendata non est ? Enim vero ipsam talis incuria con-  
juncta est cum contemptu . Nec enim per incuriam tra-  
ctari solent res grandes & majoris momenti : quales utiq;  
sunt quæ paci aut bello posuunt anam aut fomentum  
dare.

Commovit hæc quidem recens injuria generosum  
Regis animum ; sufficere tamen in poenam credidit, nec  
literas ipsas nec Morstenium tanquam internuncium ad-  
mittere. Quo nihilominus ostenderet Rex , adhuc sibi es-  
se animum in pacem propensum , benignissime Morstenio  
significari fecit : *Quamvis Rex non amplius obligetur illi per Ca-  
næzilium date declarationi de admittenda pacis tractatione , cum  
illam irritam Poloni reddiderint ; non passurum tamen divelli se à  
constante instituto de pace rebus omnibus præferenda , si ea que per  
Canæzilium indicata est ratione , circa ambages , & ex necessitate  
horum temporum , talis pax obtineri possit , qua dignitati Regie ac  
Regni , & subditorum securitati , imposterum satius est prospectum .*  
Idem per Senatores Regni Sueciæ ad Senatores Regni  
Poloniæ plenius perscribi Rex curavit. Et vero indubie

C

visa

visa tibi est, Amice, & lecta illa Senatorum Suecicorum epistola. Si sane eam quae decet cura expenderis, liquido apparebit & serio illos studuisse componenda paci, & Senatores Poloniae, gravissimis adductis rationibus, ad pacem, quasi solemnibus literis, invitatos esse. Ex adverso in Polonia etiam haec monitavel surdis auribus vel non aquis animis videntur excepta; et si ipsae illorum res afflictissimae nullum promptius remedium quam solidam cum Suecis pacem flagitarent. Quod sane ego sciam, Legati nulli de componenda pace advenerunt ex Polonia, nisi cum iam pars exercitus Regij excubaret in illorum finibus, & ipse Rex armatus staret in procinctu.

Igitur Suecos hostilia agitare in Polonos justissimis de causis, utique ex hisce omnibus palam est. Quae enim illi animo alio fuerint, cum Poloni pacem omnem toties honestis conditionibus oblatam repudiaverint? Nec vero licet non hostem agere in eum, qui pax quo minus coeat obnittitur, nisi opprimi velis.

Ceterum dixeris tu fortassis, Inducias tamen pacas inter utrumque populum in annos sex & viginti, ac proinde anno demum sexagesimo primo finiendas; quas præpropere adeo infestis armis abrumpi, nefas esse. At vero quis sive justus sive prudens affirmaverit, omnium omnino induciarum, nullo habito discrimine, finem demum semper exspectandum? Interdum arma justissime maturari in partem, qua fidem induciarum fregit, apud omnes gentes receptum est. Attende vero, mi Nicanor, quemadmodum circa inducias sese Poloni gesserint, & Uladislao pariter & Ioanne Casimiro Regibus.

Fervebat Uladislao vivo bellum Suecorum cum Czare, cautumque lege erat: *Quod Rex Vladislaus ac ejus successores Reges Poloniae, Regnum item Poloniae & Magnus D[omi]n[u]s*

*62100*

catus Lithuania, cum provinciis & Principibus sibi subjectis, nihil  
stile motiri debeant durantibus ipsis inducitis, contra Christinam  
Reginam Regnumque Suecia & ejus provincias ac civitates, &  
nulla classe armata uti, neque eam alius quibuscumque subministra-  
re contra illud Regnum.

Non numerabo inter laesa conventa, quod simul indu-  
ciæ pactæ sunt, sex millia equitum Polonorum, duce Paulo  
Noskonski præfecto Lomziacensi, signa Cæsarea accepe-  
rint; et si hostiles vires permultum eo creverunt. Id non aga  
quia non proxime in Suecos, sed illorum foederatos Gal-  
los tantum illipugnaverint, quodq; proceres Poloniæ illos  
mox severis edictis in patriam revocaverint. Accepto  
nimirum hanc excusationem. Non computabo etiam in-  
ter injurias, quod Polonorum alij multi Casari adversus  
Suecos ipsos militaverint. Nemo hoc Polonis haetenus  
non condonavit: eoque nihil habuit causæ nuperus Polo-  
nius Legatus Christophorus Przimski, cur id defenderet à  
culpæ criminatione. Frustra sane excusas quod incusat  
nemo.

At vero quod per medium Poloniæ Cæsareus hosti-  
lis miles, nemine vetante, nemine vel leviter sese oppo-  
nente, bis in provincias Regno Suedico subditas Uladislao  
Rege penetraverit; hoc vero non vacat culpa fractæ fidei.  
Prima excursio fuit Botio duce in Livoniæ nihil hostile  
tū exspectantem. Altera in Pomeraniæ duce Crockovio.  
Ad neutram hosti fuit aditus nisi per medium Poloniæ.  
Non alia etiam via utraque incurso fuit instituta; nec alia  
repulsus hostis se recepit & ultimum exitium evitavit.  
Quis non videt, talia institui non potuisse, nisi republica  
Polonica, non connivente tantum, sed conspirante clan-  
culum in perniciem Suecicorum exercituum? Nec sancta-  
lia feri solent in Regno rebus suis satagente. Erat vero

ipsa quasi salus Suedici exercitus collocata saltim in Pome-  
caniae tranquilla possessione: quam proinde plurimum pro-  
fesso læsisset Crockovius, nisi celeritate & felicitate Konigs-  
marckij fuisset oppressus. Hunc vero non solum per Poloni-  
am invadere Poloni permiserunt: sed monitus etiam & ro-  
gatus à Regni Suedici Senatoribus Senatus Polonicus,  
saltē ut redire hominem prohiberet, hunc tamen per  
Poloniā effugere paſsus est, Konigsmarckio autem  
persequenti transitum denegavit. Imo illi Crockovio ex  
arce Pucense aliisque Poloniæ castellis arma ac tormenta  
bellica submissa sunt. Botij irruptionem, conquerentibus  
Regni Suedici proceribus, excusare quidem conati sunt Po-  
loni, frigide tamen, ignorantiam cauſati. Ut proinde in  
Crockoviano hoc negotio saltē nullo eos colore fūcave-  
ris, ac culpa hostilium molitionum contra induciarum leges.

Porro cum Oeseliam insulam Danus Regno Sueciae cel-  
sisset, inter reliquas pacis conditiones, idem ille Vladislaus  
Rex non dubitavit insulanos ad defectionem à Suecis, in  
Regni Poloniæ ditionem, misso multis cum literis & man-  
datis ad Oeselienses suo nobili camerario Bergio, invitare.  
Literæ quam multæ hodieque superant: & palam adeo res  
acta est, ut negari non potuerit à quoquam. Eovero co-  
natū ruptam induciarum illam quam præmissimus legem,  
non minus luce meridiana est clarus. Quid enim est mo-  
liri aliquid *contra Regni Suedici provincias*, si hoc non  
est?

Ad hoc Vladislaus ille Rex ipsos quoque Livonos sol-  
licitavit, ad defectionem à Suecis. Clanculariis quidem  
artibus res, ut sōlet, gesta est, emanavit tamen & plurimis  
testimoniis innotuit; usque adeo, ut nec hæ melitiones  
queant fronte haut erubescente negari.

Magis arcānis consiliis agitat iſuerunt conatus Valdi-  
slai cum

slai cum Christiano IV Daniæ Rege, cum Arnhemio, & Baudisio; ita tamen, ut prudentem neminem temere fecelerint, in perniciem Regni Suedici eos institutos, solo Numine frustrante iniqua facinora.

Hæc omnia jam tum Vladislao Rege contigerunt. A Ioanne Casimiro nemo non Sueciæ Procerum, cum Regina ipsa Christina & Rege Carolo Gustavo, majorem pactorum fidé expectasset. Defuncto Vladislao fratre, rogata ab illo pariter fratreque ejus Carolo Ferdinando, Serenissima Regina de eligendo Rege consultantibus Poloniis Ioannem Casimirum in Regem studiose accurateq; commendaverat: ac proinde omnium una spes erat, tandem aliquando vetus carcinoma, post tot annorum intervallum, animorum æstu jam defervescente, remedium admittere, inque id Ioannem Casimirum novo beneficio devinctum, operam sedulo daturum. Accedebat quod Poloni à Cosaccis, Tataris, Moschis undique premerentur, domi consiliis viribusque, foris auxiliis omnium Christianarum gentium nudati. Quis itaque non sperasset, saltim nunc serio incubituros cum suo Rege Polonos paci, aut minimum induciis cum Sueco pactis? Quid autem Poloni? Piascius ipse p. 509 testatur, propendisse illos magis in Casimirum Regem eligendum quam fratrem ejus Carolum Ferdinandum, quod esse suffultus prærogativa hereditarij rituli Regis Sueciae. Septen-nium circiter est, cum Ioannes Casimirus potiri rerum cœpit: tantum ab est vero illum interim serio consilia pacis agitasse, ut pene nunquam desiisse dixeris fidem induciarum violare. Harum legibus adjectum erat, quid in titulis Regiis utrinque observari debeat, & quidem Poloniæ Regibus abstinentiam à titulo Regum Sueciæ: imo hoc quasi in basin substratum fuit inducis, utpote quum eo cave-retur Regno Sueciæ de libertate sua, Regibus de securitate.

rate. At vero novus hic Rex nunc vafro commento usus, lingua & more Gallico literas scripsit (quas antiqua consuetudo Latinas exigit) ne scil. videretur ex lege abstinuisse debito sibi titulo, aut Reginæ indebitum tribuisse: nunc Latine scribens, palam sive in sigillo sive in ipse titulo nomen Regis Sueciæ sibi usurpavit. Nunquam, id quod legere erat cautum, ut observaret potuit induci: et si bis solemnis de pace tractatus ea una pene de causa irriti redditi sint, ceu jam ante narravimus. Nec vero Regina duntaxat hisce ludibriis à Rege illo fuit contra indiciarum pacta perpetuo exagitata, sed & Rex Carolus Gustavus; quamvis erga hunc solito modestiorem se exhibuerit.

Audivisti jam de injuriis hisce monitos ipsos Regni Poloniæ Senatores à Senatoribus Regni Sueciæ. Dum exspectatur emendatio, ex variis locis certissimis testimoniorum adfertur, Regem Poloniæ, more sui fratri, Livonos ad defctionem invitare, imo illos pacantis Cosackis in pradam offerre. Quæ molitus inimica quam maxime est utique sanctis indiciarum pactis. Non sane est quod existimes, incerto hac rume re nitit, cum in promptu sint testimonia quamplura.

Nec his vero contentus Rex ille, nova clam foedera molitur, tantum in perniciem Regni Sueciæ. Novisti, Nicantor, quanti intersit illius Regni, ne qua peregrina classis Balthico mari incumbat. Vertitur in eo sane salus Regni: utpote cuius provinciæ plerque mari illo alluantur, ac proinde expositæ sint incurribus cuiusque validæ classem, si sit infesta. Hinc prudenter caverunt dudum Reges Senatoresque Regni Sueciæ, ne qua classis peregrina maris illius tranquillitatem perturbaret. Diserte in pactum indiciarum est receptum, quod jam audivisti: ne Polonus armata classe uratur, nec eum alii subministret in regni Suedici detrimentum.

trimentum. Ex adverso Rex Polonus vicinos amicosque  
Suecorum, præsertim mare Balthicum vel accolentes vel  
navigantes, solis Suecis exclusis, omni studio allicit in fœ-  
dus de paranda classe, & quidem peregrinis viribus maxi-  
me fulcienda, foederis formula jam concepta. Non in-  
diget Poloniae Regnum classe, salim quamdiu induciae va-  
lent. Quare ergo jam classem meditatur nisi in Sueciæ  
Regni damnum? Quur ab illo suo novo foedere solos Sue-  
cos exclusos vult? Certe communis boni si quod ab illa  
classe fuerit exspectandum, etiam hi utique participes de-  
bebant esse, quum omne mare illud Balthicum finibus  
Suedicis potissimum sit inclusum. Id prorsus intolerabi-  
le, hæc agitari ipso illo tempore quo pacis componendæ  
causa in Sueciam Legati à Polono sunt missi. Cui enim  
prudenti non suboleat, missitationes illas institutas fraudè  
quadam; ut nimis eo tutius laterent infidiae, & Sueci  
pacis spe inflati, minus debito rebus suis attendentes, eo  
promptius circumvenirentur.

Tot modis uno non integro septennio, non dubita-  
vit, in summa licet virium suarum debilitate, lacescere Sue-  
cos contra induciarum leges Rex ille Ioannes Casimirus.  
Quid censes fuisse facturum, si animo facultates respon-  
dissent? Sed non est quare quidquam divinemus defutu-  
ro, cum nimis liquido pateat, quantum non Uladislaus  
tantum, sed Ioannes quoque Casimirus Rex sanctam fidem  
induciarum violaverint frégerintque.

Dixeris forte, omnia hæc nullo successu facta & in cassum  
ac proinde nō oportere vanos conatus revocari ad animū.  
At vero ipsas molitiones quāsq; jam percepisti induciarum  
legibus esse vētitas. Et vero quā sint induciae illæ, quarum  
ope non sis tutus adversus molitiones? Certe bellum aper-  
tum utilius fuerit illa quiete, quæ molitionibus quibusve  
hosti-

hostilibus exposita est. Nemo profecto prudens tales quietem feret, aut illam hoc nomine dignabitur. Quis itaque non merito indignetur, si sentiat nunquam se non peti molitionibus occultis, quo tempore sacramento tranquillitas firmata erat? Nullum sane majus argumentum est iniqui & superbi animi, quam si viribus desitutus injuriarum non desinas. Insolentiam in potente ut excuses, in debili intoleranda est.

Sed Ioli Reges peccaverunt forte, nulla reipublicæ Polonicae integræ culpa. At vero, utique non potuerunt Regni Senatores latere, ea quæ memoravimus facinora, quum in vulgus pene omnia innotuerint. De quam multis conquestum apud illos sapienter est. Quare itaque passi sunt Reges suos ita insolescere contra pacta conventa totius reipublicæ? Parcere nimis voluerunt Regibus quo gratiam eorum obtinerent, quasi tanti non sit in Sueciam peccare. Aperte sane id patuit primo de pace Lybecensis congressu, quum post longam moram tandem Legati causarentur, non se ausos Regem suum de mutando titulo appellare. At qui apud omnes populos recepti est juris, ut reipubl. universæ imputetur crimen, in quod cum posit & debeat animadvertere, permittit illa impune: nec à moribus Polonicis est alienum, sed satis familiare, Regum acius severe improbare ac perstringere. Itaque quod adhæc omnia præter morem maluerint connivere, culpa jam omnium facta est & communis & publica.

Verumtamen cautum fuit induciarum legibus, ut de iniuriis interea temporis oboris, utrinque circa Livonia & fines conventus fierent, per commissarios, salvis induciis. Ita est. At non est pactum, onus petendi Commissiones illas Suecis incumbere. Conquesti Sueci sunt sapienter de iis quæ fierent adversus pacta, apud Reges & Senatores Regni Poloniae



loniæ. Polonorum itaque erat, querelis illis commoda excusatione aliqua diluendis, conventus indicere aut petere: utpote cum non Sueci sed Poloni injuriarum & fractæ fidei arguerentur. At vero ne quidem semel ab iis id serio factum est. Imo quandoque ad Suecorum querelas ne quidem per literas aliquid est responsum; alias non nisi frigida excusatione querelæ rejectæ, inani obtenuit scil. ignorantia in publica omnium conscientia, vel extenuatione iniqua commissi facinoris. Quem fructum ergo etiam commissionum potuerunt sperare Sueci, si quas petissent, tam indigne habiti? Et vero, nonne Lybecenses bini illi de pace congressus, in quibus nondubitaverunt Poloni ipsi Induciarum pacta violare, & plenipotentias viciosissimas producere, satis ostendunt, quam futuri fuissent inutilessi non perniciosi de sopiaendis querelis conventus? Non fuit sane ex dignitate Regni Suecici, etiam post acceptas injurias, à Polonis emendicare commissiones illas quas vocant. Poloni quod hac in re jure imputent Suecis, non habent: cum ipsi crediderint infra suam dignitatem esse, laesis etiam & conquerentibus Suecis mitigandis, conventus ejusmodi procurare.

Hisce omnibus ad hunc modum nonnihil majore cura abs te expensis, nonne jam vides, Nicanor, potuisse merito Suecos vel paci renunciare, si quæ illis pax cum Polonis intercessisset? Certe similibus de causis gentes pacatissimas passim ad arma convolare, idque bellum non inustum videri, notissimum est. Illis unque populis, qui maxime nunc accusant Suecorum arma, longe levioribus praetextibus bellum gerere, solemine est. Ut facile appareat, ubi illos potius felice armorum successu, quam in justitia; & hanc non nisi inane invidiae odiique esse pallium.

Si pacis vero tempore ejusmodi injuriæ bellum mere-

D

antur

antur, quanto magis non nisi per inducias suspensis armis? Multum interest scilicet Nicanor, inter pacis & induciam status, nec quod in illo idem & in hoc tolerabile videtur, aut venia dignum. Rectissime Gellius: *non pax est inducia, bellum enim manes, pugna cessat.* Stricti juris omnia sunt per inducias: adeo ut si pars minus ex fide illas observet, alteri parti mox jus in sece def armorum, nisi speciali conventione aliter sit pactum. Quali ratione non vivitur in pace.

Video non nullos haud quidem diffiteri, justo dolore moros Suecos arma tandem corripiuisse: arbitrari tamen, dissimulandas fuisse omnes injurias & condonandas, quod jam tum Poloni misere affligerentur: nec enim afflictio addendam afflictionem. Quorum probitas vehementer placet. At si afflictus aliquis, nec injuria forte afflictus, non desinat alios quietos hactenus & sibi indulgentes injuriis lacessere, imo in perniciem eorum conspirare, an is propterea dignus est misericordia quia jam tum affligitur? Neutquam. Extremæ enim signum est insolentia, etiam inter aduersa moderari non potse impotenti animo; ac proinde poena dignum est exquisitissima. Quid si certissimum sit, fore ut is qui jam affligitur, ubi liberatus fuerit ab ærumnis, te majore solito damno afficiat, an pietas exigit parcere illi afficto, donec emerferit? Non sane hoc exigit pietas, & fuerit hoc summa imprudentia. Adhoc, est quædam afflictio interdum alterius afflictionis remedium, perinde ut dolor dolori nonnunquam medetur. Itaque est interdum etiam ex re ejus qui affligitur, ut denuo affligatur. Habent hæc omnia in Polonis locum. Non desierunt illi hactenus, rebus etiam turbulentissimis maximeque afflictis, inducias Suedicas violare, illique reipublicæ struere insidias contra conventa pacta; ceu audivisti. Certe

tum.



tum est ex signis innumeris, Polonus recuperatis viribus infestissimos hostes futuros Regno Sueciæ, & nihil nunc conatibus obstat perinde, atque ea quibus cum constantur Moschorum & Cosaccorum arma. Denique jam redierunt eores Polonicæ, ut nisi armis in Suedorum ditionem redigantur, succubiturn illud Regnum omne sit sævitiae Moschorum, Cosaccorum, Tatarorum, Turcarum-  
ve: quod paulo post liquebit. Quum itaque jam dudum Poloni in se de derint Suecis justam belli copiam, nec à mora ulteriore ullum malis remedium, sed pericula maxi-  
ma utriusque parti (nam & Suedici Regni summo cum di-  
spendio fuerit conjuncta Moschorum Tatarorumque de  
Polonis victoria) certo immineant, non pius amplius,  
nec prudens fuisse, & pericula & injurias justorum armo-  
rum abstinentia alere.

Nisi vehementer fallor Amice, satis jam feci primæ dubitationi tuæ.

ALTERAM itidem nunc, paucis tamen, expediemus.  
Et quidem demonstrabimus primo, rem publ. Polonam non fu-  
isse Moschis Cosacciisque parem, sed certe fuisse succubituran, atq.  
ita futurum fuisse; ut latus illud Germania populis istis barbaris ae-  
regeretur: deinde vero, novis viribus prudentique Suecorum ad-  
ministratione, ita suffulciri Poloniā posse, ut Germania ab isthac  
periculo sit libera.

Prius illud palam est, vel ex iis quæ hoc proximo quin-  
quennio contigerunt, Quantos enim progressus fecit Czar  
Moschorum brevi tempore per Lithuania & Russiam Po-  
lonicam! Quam invalidam & levem manum tantæ multi-  
tudini tantoq; robori objecit Polonus! Quanta porro sunt  
multitudine pariter & præliandi promptitudine rebelles  
Cosacki, & qui cum iis conspiravere agrestes Russi! Quan-  
tillum est quod Poloni opposuere! Quamve omnia infeli-



citer successerunt! Nonne per est verisimile, in Sueca  
vis & auctoritas intercessisset, futurum fuisse, ut vel haec hy-  
ems proxima Germaniae finibus Tataros, Moschos & Co-  
sacos miscuisset? Nec vero est quod exspectare meliora  
a Polonis potuerimus; quæ illorum fuit corrupta respu-  
blica.

Lustra sodes, mi Nicanor, militiam Polonicam. Nulla illi populo auxilia ab ulla Christiana gente. In Tataris spes fuit Reip. posita: hoc est in iis qui inspeciem amici, ast infidi incertique, & sub ipsa amicitia specie servi sunt regi-  
onis vastatores, in universum Christianæ hostes fidei &  
Polonorū veteres inimici, soli prædæ intenti.

Iam cum miles sit alius delectus aut evocatus, alius merce-  
narius, uterq; sive pedestris sive equestris, & quidem aut pe-  
regrinus aut patrius: non equidē negavero, olim magnum  
robur fuisse evocati equitis Polonici; confusus illis quæ Samo-  
scius in Gallia jactavit. Polonia Regem cum bellum illatum  
propulsandum finesq; defendendi sunt, nulla impensa facta, supra  
centum milia hominum armare; quanquam vehementer labo-  
ret annalium Polonicorum fides apud quam multos, dum  
præclara nobilis illius militia facinora narrant ad poste-  
ros. At vero jam dudum in illo quidem Polonico equite  
ostentationis & inanis famæ plus fuit quam solidi præsidij.  
Ne quidem ipsi Poloni, gentis suæ haud parcí laudatores,  
virtutem hoc manifestissimum ausi fuerunt dissimulare. Unum  
pro multis nunc tibi producam testimoniū, geate Polonum, Si-  
monem Starovolscium, doctum & eloquentem scriptorem  
libelli cui Polonia nomen est. In diserte suo loco differens  
de Regni virtibus, cum multum jactasset nobilem Poloni-  
cum equitatum, addit: Sed in ista multitudine duo desideran-  
tur quæ in bellis gerendis maxime sunt noctua, celeritas nimirum  
& obedientia. Quia & tarde nobiles sub signa conveniunt. comitiis  
prime

primo tot hebdomades celebratis, sine quibus bellum edici non posset. & difficulter ab economia sua uxoribus atque liberis divelluntur: usque tertium editum expeditionis bellicae prava consuetudine expectantes. Cumque jam ad locum designatum convenerint, tum se unitos & armatos animadvententes, aut contra Regem aut contra Senatum tumultuantur. Vel etiam interdum Reges ipsi tardius in expeditionem procedunt & mora tempus elabi ultropatiuntur: ne vel a nobilitate ob malum regimen exagitentur, vel praetensione eorum cum diminutione suorum reddituum aliquid tributant. Unde incommoda ista Respubl. prospiciens, stipendiario militare ordinarie bella peragere consuevit, generalem autem nobilitatis expeditionem, in ultimum tantum casum reservavit, ut si vel tributa non sufficerent, vel hostis ista potens esset, ut ei resistere conscripto milite Generalis bello nequiret, tam ad generalem omnium nobilium expeditionem, tanquam ad ultimum remedium confugiendum putarent. Idem Starovolscius paulo post: Quod autem in ejusmodi expeditiones parvior nobilitas fieret, statutum est jamdudum publico Comitiorum decreto, ut prima post Pascha-tis festum Dominica, insingulis sarrapiis lustratio in armis fieret, & quisque Palatinus suorum provincialium nomina in tabulas referret. Quod, aque ut & alia instituta patriæ, aut penitus negligitur, aut certe neglectimperagit, pena in delinquentes valde levi assignata. Accedit porro, quod illa nobilium multitudine evocata, licet velit, non possit tamen unum in corpus coire, propterea quod praesidiario milite pene ubivis sit destituta Polonia, ut & circa fines commodis arcibus contra subitas incursiones paratis. Fatetur etiam hoc Starovolscius hisce verbis: Illa ingens nobilium equorum multitudo ob malum reipubl. regimen nullatenus simul convenire contra hostem posset: nam aliter nudarentur provincia contermina parentibus viciniis, quas usque custodire oportet, cum militem in urbibus praesidiariū nullib: omnino habeamus, qui impetum supervenientis

D 3

hostis

hostis aliquomodo reprimere posse, preter paucas cohores in Russia qua excubant. Vide mihi jam quælo decantatum illud robur nobilis equitatus Polonici quam sit invalidum: & tamen hoc & debebat esse & olim fuit dextera quasi manus Regni illius.

Instituerat olim & peditem evocatum, prudente consilio, Rex Sigismundus Augustus. Audi vero & de illo Starovolscium. Pedestris quoque militia Augusti Regis invento, tam ex urbana quam è pagana plebe delecta, fere jam evanuit: & vix aliquor centena jam numerantur, ea que nullius frigi, qui quindecim millia superare debuerunt. Reliqui omnes, avaritia præsidum, censum exsolvere iussi & rusticis laboribus adscripti, cingulum militare deposuerunt. Laudo quod ille subjunxit consilium, de juventute diligenda etiam ex agresti plebe in pedestrem militiam: neque dubito fore id utilissimum. At observo heic, non quid fieri possit aut debuerit, sed quemadmodum se se nunc adeo habeat militia Polonica. Et vero unice meretur annotari, illarum Russæ partium plebem, quæ Starovolscio judice ad delectum omnium aptissima, multis injuriis irritatam, correptis armis aliquot jam annos oppugnare rem publ. Polonicam, ita ut hanc hodie experiatur acerrimum hostem. Sed & in universum de illo peditum Ordine habemus fatentem Starovolscium illum. Pedes paucos habemus, (inquit) eosque è plebe omnes, non ita ad pugnam quam ad labores castrenses evocates: ut nimirum fossas dum opus fodiant, vallum excitent, portes confruant, vias sternant, tormenta & impedimenta bellica conductant, atque demum castra ipsa custodiant. Quod si vero oppugnationem loci alicujus meditamus, tum è Germania aut Vngaria mercenarios nobis pedes adducimus, qui sunt exercitatores nostris.

Saltim itaque in evocato milite domestico nihil est præsidij

31

præfidij reipubl. Polonicae. Specta fodes jam & conda-  
ctum. Equite vix alio utuntur Poloni, etiam mercena-  
rio, quam ex nobilitate patria conscripto, quem quod par-  
te quarta regiorum proventuum in stipendium fruatur, ex  
instituto Regis Sigismundi Augusti, Quartianos appellati-  
ant. Solet sane ille fortem satis ostendere. At vero  
simul disciplinam non audit, & si recte rem aestimes plus fe-  
rocia habet inconsulta, quam constantis fortitudinis. Sed  
& illorum ferocium parva admodum manus est: alij mag-  
is lingua quam pectori valent, & ut primo impetu ani-  
mosi, ita repressi leviter statim languent atque a fuga præ-  
cipite querunt subsidium. Multus quidem est in iis lau-  
dandis Starovolcius: at si ex vero aestimes illius narratiuncu-  
las, apparebit, vehementer illum errare, dum soli illi e-  
quitatu adscribit facinora, quorum laudem maximam ad-  
missus pedes meruit.

Nec ego nec tu illis rebus interfuiimus, Nicanor: pro-  
vocare tamen non dubito ad ipsas Polonorum historias,  
quæ neutiquam profecto Starovolcio consentiunt.

Majus haec tenus robur & præsidium rebus suis invenit  
Polonia, in illo pedite gentis suæ mercenario Cosacorum  
Zaporovianorum. Et vero ex quo hanc militiam in ordi-  
nem & leges rededit Stephanus Rex, munimentum ille re-  
gni sere unicum fuit adversus Scythicas præcipue incursio-  
nes, nunquam pene non meiuendas, & vim Turcarum.  
Verum hoc olim fuit. Nunc quantum mutavit! Rebus ge-  
stis, & numero, & remotiore regia loco, ipso denique so-  
lo suo & cœlo, cum non in tempore eavissent Poloni, in  
eam magnitudinem miles ille sensim excreverat, ut coér-  
centium morderet frena; ac proinde prudenter ita erat tra-  
stantus, ut non advertenti (εν προσυωψίᾳ τότε δέκα jubent  
sapientissimi Græcorum) subtracta quidem in solecendi  
facultate

facultate, in amore tamen & reverentia Polonicæ reipublicæ perseveraret. Poloni vero primum Cosacos injuriis irritare, inde arma in eos vertere, omnem militem illum pene exauktorare, nec ita quidem ab injuriis abstinere. Unde tandem Bogdano Chmielnicio duce, acerrimum illud bellum incendium orrum, quo septem jam annos Polonia universa tantum non conflagravit.

Multis injuriis laesos Cosacos, ne quidem prudentiores Poloni ipsi dissimulant. De illis inter multa alia haec sunt verba Stanislai Lubienski Episcopi Plocensis in Censura Laureæ Austriacæ Julij Belli: *Ceterum quadraginta proximis istis annis, numero & fortunis quas ex Asiatis praedis corradunt aucti, prædia quoque & domicilia in oppidis Regis & Nobilium habere cœperunt: quibus & uxores & res pretiosiores deponerent. Cumque locorum domini & Regii praefecti eos censu ac tribatis gravarent, & quasi inservitutem redigere vellent, sape illis rebellarunt. Ita orio ex libidine & cupiditate privatorum dissidio, aliquoies eos publicis armis & impensis coercere opus fuit. Consule vero, Nicanor, & Piascium. Ille narrabit, jam anno 32, defuncto Sigismundo, tempore interregni. cum alia tum religionis Graecæ sakuas immunitates sibi petiisse Cosacos à Regni Ordinibus, nihil tamen aliud accepisse responsi, quam cura sibi futuras religionis Graecæ rationes. Pristinæ scilicet & avitæ Græcæ religionis, cui affluerant, loco per vim invitis Sigismundus curaverat obtrudi, ut & aliis Ruthenis, ritus Latinos aut certe illos, per Unionem cum Romano Pontifice institutam, Papali cultu interpolatos. Quæ intolerabilis est animorum servitus. Eiusdem Piascij haec sunt verba pag. 494. Hoc anno, (1637) licet fortuna exiisque tristiore, Cosacki pro retinendis libertatis suis laborarunt. Cum enim diversi proceres Regni Poloniae, in ditionibus Kijoviensibus, Cosaccorum præcipuis sedibus, multas possesso-*

possessiones parvum emptione partim liberalitate Regis acquisivis-  
sent, census earum ut augerent, licentiam Cosackorum qua tali ipse-  
rum proposito obstat videbatur, refrenari oportere, apud Regem  
Senatumq; prædicabant. Narrat mox prolixius, quemadmo-  
dum post acerrimum conflictum, victis Cosaccis, dux eo-  
rum Paulucus cum quatuor aliis antesignanis post acceptā  
fidem ditione sint capti. Idem pag. 501. multis persequi-  
tur, contra datam, fidem ducem Paulucum cum suis capi-  
te plexum: & publico Comitiorum decreto, omnes immuni-  
zates una cum oppido Techimirov Cosackorum societati conces-  
sas à Regibus Poloniae, fuisse abrogatas, negotio dato præfectis belli-  
cis, ut nova expeditione suscepta, comitiorum illi decreto resistentes  
extirparent. Cum deinceps retulisset, belli illius adversus  
Cosacos initia variam fortunam, Cosaccosq; ditionem  
tandem fecisse accepta securitate, fore ut in proximis comi-  
tis pristine libertates ipsis restituerentur, addit, solutis castris  
cum diffuerent manipulatim ad propria, plurimos eorum à  
milite regio trucidatos, privilegia ipsorum in ambiguis Comitio-  
rum deliberationibus mansisse; quodque magis, (inquit) tribu-  
nus seu commissarius illis à Rege nunc unus nunc alter datus fi-  
pendia ipsis defraudabat, serviliterque eos tractando, non nisi que-  
sum quarebat ex illorum obsequio. Fatetur idem Piascius  
pag. 508 Bogdanum Chimielnicki, ob injuriam atrociorēm  
acceptam à præfecto domiciliū sūi Corsumi, redditum insolentio-  
rem, imprudentia vero ducum Polonicorum omnem Cosackorum  
sentinam, jam exacerbatorum acceptis diversis à præfectis loco-  
rum injuriis, tum & à tribunis seu commissariis apud eos regis,  
quasi stipendia ipsis retardarent, & eorum obsequio ad suos qua-  
stus abuterentur, ad seditionem provocatam esse. Hæc omnia  
Piascius non dubitavit ad posteritatem referre. Sicut  
ingenua etiam ejus confessio extat pag. 509. de plebe Rus-  
sica, quæ eodem cum Cosaccis tempore, anno. nimirum

1548, arma corripuit: illam nimirum cum esset Graci schismatis, pertinacius infensam ritui Latino, dominisque suis, Unione ut vocant istos ritus confundentibus, & quod ab ea colonaria (quia plerumq; ibi Nobiles fundos suos locant Iudeis, infarabili avaritia augendis possessionum censibus assueti) immensa extorqueans.

Sed non est quare de causis motuum Cosacciorum hoc loco differam. Satis est si observes, Nicanor, ab illo milite nihil exspectari hodie posse praefidij adversus Moschhos quidem. Et vero eorum utrique ritus sacros Græcos colunt; jamq; adeo Cosacci in ditionem pene Magni Moschorum Ducis concederunt: non adeo pridem foedere cum Tataris pacto Polonos aggressi sunt. Certe jam septem annos integros infensissimum reipubl. suæ hostem experta Polonia est Cosacos suos; suntque illi hodie Moschorum Duci sacramento adstricti, tantum abest ut ingruentibus Moschis se se sint opposituri.

Supereft unus miles externus. Et vero illo solet utri Polonia ex Hungarais, præcipue tamen ex Germanis conduto. At vero hactenus quidem nunquam ille ad insignem numerum excrevit.. Nec Germani nostri signa Polonica amant, quod durius plerumque habeantur & ini quis ab insolente Polonico equite. Ne quid nunc dicam de illo odio, quo plarique Poloni ingentem omnem Germanicam feruntur. Certe nec Poloni nisi ægris oculis Germanum militem vident, nec Germani Polonum fidum sibi solent experiri. Ut vero aliquid reipubl. Polonicæ opis sit positum in illo milite externo: quantillum, amabo, illud est! Quam impar sane Moscho, Tataro, Cosaccis! Et vero in universum miseram illam rem publ. cuius robur est in milite peregrino collocatum!

Expende porro, Nicanor, quam etiam reliqua sine quibus bellum non geritur aut miles officium non facit, fuerint apud

apud Polonoſ non ſatis idonea iis immanibus hoſtibus repellendis. Audi vero, ſodes, ante omnia communem aliquam de iis omnibus Starovolſcij confeſſionem. Cum ad potentiam, ait, & firmitatem cuiusque ſtatus requiratur numerositas virorum bellicoſorum, abundantia commeatuum, pecuniarum magnitudo, armorum ſufficientia, & frequentia munitionum: nullum prorsus ex praedictis conditionibus debito & conuenienter habemus. Haec ille prudenter ſimul & ingenue. Audivisti jam tum ejusdem æque ingenuam confeſſionem de milite ipſo: & à nobis ille oculis tuis modo eſt exhibitus. De ſingulis reliquis in promptu eſt adferre itidem plurima: ne moleſtus ſim tamen, non niſi uno illo Starovolſcio teſte nunc utar.

Hujus haec ſunt verba: De commeatu non eſt dubitan-  
dum, quin tantam in bellis multitudinem Rex Poloniae alere poſ-  
ſit: cum ſit cuique maniſtatum, Regnum Poloniae poſſe alia duo  
ſemilia regna, prout ipſum eſt, non modofrugibus ſed & carnibus  
& alio campanatico ſuſtentare. Nihilominus nos Poloni in quali-  
ber expeditione bellicafame laboramus: atq[ue] ſepiſſimè reſtamjam  
ad finem perductas, propter commeatuum penuriam, turpiter  
deſcriimus. Quod totum procedit ex ſocordia praefectorum belli,  
aut potius Reipubl. Ordinum, qui dum aliquorū bellum medicunt,  
nugquam in partibus illis de commeatu prouident, ſed quod cui-  
que militijs orſ offert, id rapit in transitu; & poſte aſſe cum equis  
& famulis in caſtris ſuſtentat. Fame vero oborra, aut morbis  
paſſim omnes intereunt, aut nolunt obedire ducibus suis, & dilab-  
buntur. Quodſi vero Reſpubl. prium ibi de commeatu prouide-  
ret, quo exercitum mittere vellet, & commeatus ille, ob abundan-  
tiam rerum omnium, parvo certe conſtaret, & expeditionem pro-  
poſitam facile ad finem optatum deduceret.

Pergit idem Starovolſcius: Iam autem quoad pecuniam,  
parata illa in arario nugquam reperiſtur, ſed tum demum, cum  
bellum

bellum per Comitia edicitur, provincialibus imponitur, vectigal  
liaque diversa bello finiendo sufficientia statuuntur. Sed & hac  
ipsa, vel tarde conferuntur, vel non ex integro in ararium infe-  
runtur, porior pars privatorum cupiditati cedit. Quæ si paulo  
ordinatus colligerentur, arque etiam rum, cum bellum nobis  
nullum est, moderate imponerentur, & asservarentur in prom-  
penariis: prefecto & exercitus nostros celerius in hostes educe-  
remus, & militem ipsum obsequentiorem in bellis habere-  
mus: qui dum avaritia gubernantium stipendia sibi retineri  
vident, facile in perniciem patria conjurant, quodjam sapissime  
sumus experti. Hæc de pecunia publica ille. Debuisset au-  
tem merito addere, pecuniæ exiguum vim posse contrahi,  
quoniam Episcopi & Religiosi nihil de suis bonis in publi-  
cum conferunt, cum tamen habeant opes longe maximas,  
multo certe majores opibus Nobilium, Regiis proventibus  
pene suppares. Quo nihile est indignius.

Sed audiamus porro Starovolscium. Arma quisque  
sibi privatus curat e Germania, aut aliqua alia gente vicina pos-  
tari: quia Rex aut Ressabl. nullum armamentarium publicum  
habet. Sunt rāmen aliquot in locis repositoria tormentorum ma-  
jorum nuperime à Serenissimo Rege Vladislao IV instituta: sed  
plura multo & ordinatoria civitates habent, itemque nobiles non-  
nulli & proceres Regni.

Postremum & hæc addit: Quantum ad munitiones &  
fortalitiae, candide fatendum est, illa omnino in Polonia nulla  
existere, præter aliquot castella privatorum; idq. sparsim per pro-  
vincias & Regnum, ut est Zamoscium, Lancutum, Zbaraschum,  
Nesvizia, Lachovicia, Medirecia, Dulona, aliq. minutiores po-  
pulationes. Hæc Starovolscius. Vult quidem idem ille:  
propugnaculis non esse opus, quod Poloni sua facile vel  
peccoribus suis tueri possint: prout hactenus tutari, snt, aperio  
potius Marte cum hoste decerando, quam vel strategematis uten-  
do vel

*do vel propugnaculis se se includendo.* Verum haec quidem persuasio æque est inanis atque illa veterum Laconum : quam proinde sapiens vir Aristoteles *in opere Politico* & nimia ruditatis nomine traducit & præclaris rationibus convellit. Et vero, ceu ille quoque dicebat, *errorem illum res ipsa convincunt & consensio omnium gentium prudentiorum veteris pariter nostrique ævi.* Nec profecto quod *aperto Marte* haetenus tuta fuerit Polonia, etiam imposterum par fortuna speranda. Imo sperari illa non potest , postquam virtus prisca militaris multum adeo mutavit , & potissimum militem suum Polonia hodie experiatur hostem. Certe cum Poloniæ natura ipsa vel mari, vel flaviis, (Borysthenem excipio : sed illum jam tum suum fecit Moschus) vel montibus nisi Hungariam versus, vel sylvis aut paludibus inaccessis neutiquam muniverit, & ab arte nihil acceperit præsidij, præ omnibus Europæ rebus publicis Polonia virium imbecillitate laborat.

Quum in hunc modum vero omnis res militaris Polonica se habeat, cui non patet, imparem esse Poloniæ repellendis vel solis Moschis; præsertim postquam non tantum Russica plebs Poloniæ, verum etiam Cosacci ipsi in Czaris imperium transferunt?

Neque vero est quod cogitemus tempora prisca, aut veterum Polonorum in Moschis domandis felicitatem. Plurimum enim decrevit vis Polonica intra Paucos annos, præsertim ex quo Zaporovianus miles plebe Russica stipatus Polonos deseruit, quod jam sæpius monuimus. Ex adverso longe melior hodie est ratio Moschicæ militiæ quam fuit olim. Utpote quum Germanico more signa sequi, ordinem servare, audire disciplinam & quidem sub ducibus Germanis cæperit. Quodque maximum est, hodie sub imperatore est miles ille, juvene belli avido, omni-

E 3 bus

bus domī pacatis : quum paulo ante à domino ignavo , & rebus domi vel corruptis vel certe post diuturnum civile bellum fessis , haberetur . Nec enim nunc repeatam , quanta Moschorum viribus facta sit accessio per Cosacos & agrestem Russorum Poloniæ manum .

Non est etiam quod existimes , potuisse Polonus restituere in integrum res suas . Primo enim ea utique vis fuit Moschica , isque irruentis mali impetus , ut nisi parato jam & constituto remedio reipubl . interitus haud potuerit averti . In omni mora periculum fuit , dumq ; deliberassent Poloni deponenda rectius reipubl . jam periissent , & in finibus Germaniæ jam hæsilset Moschus .

Is deinde fuit status reipubl . Polonicæ , ut nec vitia sua ferre amplius potuerit nec domesticam medicinam admittere . Consultationibus publicis comitiorum quid potuit esse magis confusum , factiosum , & turbulentur ? Parum abest quin Euripideum illud de iis affirmare licuerit : ἀδεῖς ἀδερός ἀνέστις ἀδεῖ . Quid magis perniciosum reipubl . quam paucorum Nunciorum terrestrium , quos vocant , obnunciatione , integra Regni comitia reddi interdum irrita ! Quanto in vilipendio fuit Regia auctoritas ! Quid Regibus tandem reliquum mansit præter tenuem splendorem ! Non disputabo nunc , quibus de caassis & per quos ingentem illam jacturam fecerit Regia Majestas . Scio enim & à Regibus ipsis illam præcipitatam , & à Regni Ordinibus sensim esse subrutam . At profecto ea est populi illius indeoles , ut etsi ferre nequeat dominatum integrum , nequeat tamen etiam ferre integrum libertatem , ac proinde nisi Regis dignitate salva ipse salvus esse non possit . Iam cum ante hac magistratus sacri pariter profanique libera Regum prudentia constituerentur ; quantis factiōibus , quantis tumultibus , res sancta & reipubl . summe necessa-

necessaria iam annos aliquot cœpit involvi! Dixeris nihil perinde reipubl. aliquam diu turbasse. Ipsa summa judicia laborasse, ut ita loquar, lethaliter querela publica omnium fuit. Ipsemet Starovolscius non dubitavit inter causas felicium armorum Gustavi Adolphi Regis in Polanos referre, iram Numinis, ob ius scelerapublica impunita.

Porro in omni populo Polono credin' fuisse qui serio optarint reipubl. statum qui erat integrum? Mihivix videtur. Primum enim utique religionis obtenuit inter se hostili prope fuerunt Poloni animo, ex quo Sigismundi Regis cura Jesuitæ in Regno illo invaluerunt. Iam à multis seculis scilicet Ruthenica gens, quæ aut Poloniæ Regibus aut Magnis Lithuaniae Ducibus subest, Græcos ritus sensusque amplexa est, multum à Romanis diversos, quibus populus reliquis fuit addictus. At semper inter illos pacata omnia: nec sacrorum diversitas reipubl. civilis commune studium turbavit. Posteaquam Romanus cultus avorum memoria passim terrarum ab erroribus superstitionis purgatus est, in Polonia quoque numerosa fatis multitudo novis illis partibus accessit: non sine aliquo motu quidem, qui tamen intramodum fuit, nec aliquod animorum divortium induxit. Simul vero Sigismundus Rex Jesuitarum consilio & opera sacra profanaque omnia cœpit regere; jam omnia turbari, solis Romanæ superstitionis affeclis honores dignitatesque vindicari, diversa sentientes convitiis & contumeliis affici, in eos tanquam hæreticos extrema meritos omnem reliquum populum incendi, omnes urbes Jesitarum collegiis alliendiæ juventuti idoneis repleri, misero denique Ruthenorum populo atque adeo & Zaporovianis Cosaccis Romanensia illa per vim obtrudi. Unde ita in partes scissus est populus, ut jam ipsimet reipubl. lux indignentur partes quæq;



quæq; Romanenses enim illi, et si numero & dignitate reliquis prævaleant, accensi indocto zelo, cum injuria coniunctum existimant quod supersint qui sentiant aliter, præsente felicitate sua neutiquam contenti. Relqui dolent, deprimi se & honoribus debitibus privari tantum ob innoxios sensus. Multo maxime fremunt Rutheni vim passi. Nulla harum partium igitur amare potuit præsentem reipubl. statum, quippe quum nulla non de injuria conquesta sit, quam ex publico statu acceperit.

Lege, sodes, Nicanor, quæ ipsem et Piascius narrat, de Jesuitarum quidem auctoritate apud Sigismundum pag. 300: quemadmodum illi Jesuitæ innumeris contenti nibus urbem Rigam ad desperationem adegerint pag. 345: de turbis ex Unione quorundam Russicorum antistitum cum Papa Romano facta exortis, pag. 139. & 444. & 459. Quo ultimo loco ut & pag. 445. 448. 456. 458. simul disces, Evangelicorum tolerantia, sacramentis Regiis dum confirmatae, quam sese opposuerint in illo post Sigismundum interregno optimatum primores, quod que illam non admirerint Præsules, nisi addita illa clausula: *salvis juribus Ecclesiæ Catholicae Romanae*: quæ quid sibi velit nemini est occultum. Indico duntaxat tibi loca, quæ possis consulere si libet: nec enim mei est instituti hæc omnia plene narrare. Staravolscius non dubitavit affirmare, eo rem rediisse ut nemo in Senatum admitti, aut admittora sub sellia vocari quisquam potuerit, nisi Romanæ professionis. Kobierzyckius vero, quo loco in defuncti Sigismundi laudes se diffundit, l. I. Vladislai Principis, hisce verbis utitur: *Constantissimum materna pietatis cultorem habuit Polonia*: quam serpente heresos contagione leni at efficace (efficace sane apud ambitiosos, at iniqua & communi omnium libertati adversa) medicina ad veteris orthodoxæque religionis revocavit

vocavit sensum, cum prefecturas & magistratus deferret viris  
avite majorumq; fidei opprime tenacibus: eoz dominationis arcano  
reteno, (fuit sane arcana dominationis, utpote cum hoc  
ipso unam eamque maiorem partem procerum zelotarum  
sibi Rex plurimum devinxerit, exiguo tamen commodo)  
heres absq; ullo strepitu parvum supprimeret, partim memorande  
pietatis exemplo ad pristinum reduceret statum. Et qui postissimam  
principiamq; Senatus partem novo ac recenti additam dogmati  
in primordiis regnorum repererat, decendes duos tantum relin-  
queret, Sigismundum Grudzinum Calisensem, & Raphaelem  
Leszynium Belzensem Palatinos, illum quidem oculi rari cuidam  
secta deditum, proindeq; minus noxiū; hunc Calvinis sequacem,  
summe nihilominus probitatis civem patriaque studentem com-  
modis.

Pecco forte, Nicanor, quod probare instituam testi-  
moniis illa, quæ omnibus Polonicarum rerum gñaris  
sunt notissima. Utile tamen duxi saltim pauca hæc ad-  
ferre in medium, quo omnis dubitatio tuo animo exima-  
tur, quoniam haud facile soles credere (quæ tui est ingenij  
probitas) sequiori famæ et si vulgatissimæ.

Non vero illa tantum ratione dissecta est in partes  
Polonia, verum etiam in universum inter ipsos Equites  
& Praelatos, quos penes cæteroquin summa est reipubl.  
pessime convenit. Capita contentionum (sunt autem  
ponderis haud exigui) legere licet apud Piascium pag.  
444. Neque Equitum causæ justissimæ à republ. ullum  
potest esse remedium, quum cleris curiæ Papalis favore  
se rueratur. Et tamen nemo prudens non videt, illa quæ  
Episcopi arrogant sibi jura, non posse salva republica ad-  
mitti.

Quis crediderit porro, populum omnem ingenuum  
F reliquum

reliquum amasse illam rempublicam, quæ sese exclusit ab honoribus adeundis? Non sane firmo est loco civitas quæ plorosque habet inhonoratos.

Longe vero iniquior est conditio plebis Polonicae; quia durissima premitur servitute. Ceu jam supra audivimus, plebem agrestem Ruthenorum, ob summas injurias, in ipsos dominos suos arma corripuisse. Multo minus ergo plebs potuit præsentem reipubl. statum amare.

Taceo alias privatas lites, quibus Polonia hodie est refer-tissima, ipsomet teste Staravolscio: idque quoniam minus quam reliqua dissidia in publicum nocent. Etiam illa tamen animos ab amore publici status multum avertunt. Nihil etiam dicam de immani luxu pariter & luxuria, quibus ditissima patrimonia brevi absorbentur, & qui ad egestatem sunt redacti incitantur ad r̄es novas. Non tangam quoq; illam superbiam: qua factū, ut alios tantum non omnes præ se contemperint Poloni, cum primis ipsoſ hoſtes ſuoi Minimi ſeſe ſemper feciſſe Suecos, ultro fatetur Staravolscius. Silebo denique illam ditescendi cupiditatem, quæ aliquamdiu inter Polonos præter ſolitum exarſit. Prudenter tamen Staravolscius fatetur, illa cupiditate hoc effectum, ut minus publicis redus modo ſint intenſi Poloni, & quis q̄ corum privatō commodo ſtudeat: ex quo procerum aſidua diſcordia, nobilitum inobedientia, aule diſpicioñes, Principis contemprus, rerum neglectus paſsim.

Non poſſum vero non tibi conſiderandum expone-re immodicum illud libertatis ſtudium, qua lue laborat universa Nobilitas Polonica. Nec enim illa veram libertatem denique cupiit, ſed in licentiam effuſa nec leges amplius nec Regis aut magistratum iuſſa audiit: uno-quovis plenum ſuarum ferum arbitrium affeſtante. Hoc enim

enim est evertere penitus rempublicam & convellere omnem societatem civilem. Certe hisce moribus rempublicam tueri salvam, unum est eorum quæ sunt impossibilia. Nec vero est quod sperare meliora quem jubent tempora mollia, quæ interdum hisce vitiis laborantes resplicas aliquamdiu sustentant. Simul enim vel domi vel foris gravior aliquis motus exoritur, respubliæ ejusmodi illico collabescunt. Perinde atq; domus aliqua aut navis lacera cœlo benigno quidem superest & mentitur aliquod robur; tempestate tamen mox succumbit.

Atqui tantis morbis laborantem Poloniam invasit immani multitudine Moschus. Qui potuisset itaque non illa totain tam potentis hostis ditionem pervenire? Et vero pene omnem Lithuaniae, & Russiae Polonicæ pleraque, insperata armorum felicitate, spacio temporis peregrino Moschus jam subegit. Nec potuerunt Poloni dissimulare suam imbecillitatem, maximum ruentibus suis rebus præsidium à Tataro, capitali gentis hoste, expectando.

Iam ante ostendi, in tanto discrimine & tam præsente, rempublicam suam non potuisse Polonus ita emendare ut esset par tuendis reliquis. Non obscurum vero est etiam ex ijs quæ in medium attuli: etiamsi tempus hoc admisisset correctionem; mores tamen eos esse, eoque rediisse Polonica omnia, ut nisi vi adhibitare-  
re publica quo par est modo componi haud potuerit, Numquid enim cui fiat verisimile, homines illis moribus & institutis non tinctos, non imbutos, sed plane immersos, innutritosque, sponte sua, boni publici causa, mutaturos illasibi adeo accepta, laudata, usitata? Alienum est hoc ab omni humano ingenio. Etvero quis illis per-

quædeat, saltim improbum esse illud libertatis studium quod  
ducuntur? Utque multis hoc persuadeas, cum paucissimi  
quid expediat publice, præ inani cupiditate privatæ rei, in-  
telligent, saltim apud plurimos doctrina sola nihil effeceris.  
Sed & qui intelligunt bona malaque, tamen raro ea sunt  
virtute, ut quæ intelligunt sectentur.

Vi ergo quadam opus omnino fuit reipubl. Polonicæ  
si corrigi debuit. Vi, inquam. Nec vero tales rerum publ.  
morbos nisi vi sanaveris. Certe ut corporis ita & reipu-  
blicæ mala quædam ferrum & ignem exigunt: molli aut  
lenta medicina exasperantur augescuntque.

Cæterum nec domi (in ipsa inquam Polonia) partis  
alicujus, fuit vis par illi carcinomati edomando. Non Re-  
gis sane, non alicujus Nobilium ordinis illa fuit potentia.  
Utq; fuisset; attamen num pars victrix fuisset omnia ex usu  
publico compositura, per profecto est incertum. Ut se-  
quora quæque suspicemur, movent nos plerorumque  
mores efferi.

Quicquid hujus sit, non potuisse amplius Polonos  
Moschorum potentia resistere, ac proinde futurum brevi  
fuisse, ut omne illud Germaniæ latus barbaræ Moscho-  
rum tyrannidi & Tatarorum incurvis nudaretur, haud  
dubie, perspecta penitus Polonorum republ. etiam tu,  
Nicanor, jam confiteberis. Cave, vero, dubites, Sue-  
corum consilio & viribus imposterum ab illo quidem im-  
menso periculo nos tutos fore. Favet illorum conati-  
bus altissimum Numen: ceu palam est. Præst Rex, pie-  
tate non sycata, prudentia, dexteritate agendarum re-  
rum, animi generositate & fortitudine, vigilancia, mo-  
destia, benignitate, elementia, nemini eorum quos hic  
sol vidit rebus magnis gerendis pares, secundus. Huic  
acma-

ad manum Senatus fidelis, gnarus, cautus; exercitus belandi vetus, obsequens, numero magnus, virtute maximus, semper victor, nunquam victus. Abunde est prudenter ad componendam feliciter rem Poloniæ: abunde potentia ad improbos & refractarios coercendos. Quanto magis junctis Sueciæ viribus idonea impostorum erit Polonia, procul abigendis Moschis, Tataris, alijfq; barbaris! Non sine causa profecto jam tum Constantinopoli trepidatur ad hanc potentiam. Certe non major fuit Alexandri vis, qua Persis superatis omnem Asiam domuit. Et ex illis ad Pontum locis Gothi quondam Macedoniam, Græciam, & Asiam populati sunt.

Legi quidem nuperimi Polonorum Legati Christophori Przimski orationem, ad Regem Carolum Gustavum habitam: quæ tumidus orator ille etiam hoc persuadere voluit, non posse feliciter Poloniæ cum Suecia conjungi, quod distinctissima sint regna: divisisse naturam mari: dissociasse constitutionem imperij & religionem: dispare legibus, moribus, habitu, lingua: in nullo sibi populos hasce esse similes nisi ferocia discordiarum omnium somite. Non potui vero non ridere, hæc à Polono eoque Casimiri Regis, Lagato, dici: quum tamen jam sexaginta prope annos perpetuos Polonorum Reges affectaverint in Suecos imperium, & Polonici Regni Proceres Regum suorum illa defideria consilio, ære, milite juverint: imo cum in suam rempublicam receperint Poloni ipsi olim, & Russos institutis sacrâ pariter profanisque multum alienos, & Borussos Livonosque lingua & moribus semper, hodie etiam religione diversos, & Lituanos denique cum adhuc foeda barbarie & paganismo essent collutulati.

Distinctiones eismodi obstatre constituenda reipublicæ

blicæ alicui absolutissimæ omnibusque numeris perfectæ, fateor. At illam ut voto optare licet, ita assequi non licet. Platonicae civitatis ea felicitas fuerit. De illa condenda nulla hodie deliberatio est. Gentes non minus atque Poloni sunt & Sueci, mari divisas & institutis differentes, in unum reipubl. corpus sic satis feliciter posse concrescere, jam à plurimis seculis inter omnes homines usu compertum est. Ad linguam moresque alienos adiscendos ipsi Poloni longe sunt aptissimi. Non dubitavit sane eorum ingenium hoc nomine commendare ipsem Starovolscius : quod non solum ad convictum atque familiaritatem quorumlibet faciles, verum etiam ad mores & imitationem eorum cum quibus vivunt, exterorum praesertim, sint flexibles; quod item libenter peregrinentur, & carum gentium linguas ad quas perveriunt capide & facile addiscant. Non sane vel in medio Latio tam multos reperiri cum quibus Latine possis loqui (quod idem dicit) verissima Poloniae laus est. Ut mores aut habitus aut leges omnium iidem sint, non est necessum in republica, quam constitueret vulgo solemus. Satis ergo fuerit; si imposterum uterque populus conveniat in legibus, quæ utriusque salutem bonumque communem attinent. Nec ea est ferocia Suecorum (quod Przimsky forte existimat) quæ Polonum non ferat. Germanicus genti animus est: qualem in Prussis & Livonibus Poloni utique non sunt aversati. Ne Polonorum quidem ea ferocia fuit, ut non ultro sibi expetierint Regem olim quidem Lithuanum Jagellonem, non adeo pridem Henricum Vallesium Gallum, Stephanum Bathorium Hungarum, Sigismundum Svecum: imo non passi sint per aliquot centum annos Germaniæ nosfræ Reges sibi dominari. Quod si quorundam major  
hodie



hodie est ferocia , cogitemus vetus illud .

*Nemo adeo ferus eſt qui non mitescere poſſit.*

Non defunt remedia compescendæ ferociæ , & mitigandis superbis pectoribus .

Maximum concordiae statuminandæ obstaculum videtur fore Papalem religionem , qua plerorumque procedum aliorumque animi fascinati sunt . At vero jam audiisti , Nicanor , plurimis seculis , Russos Græcis sacris addictos cum Polonis Latinorum rituum asseclis pacate in unam rem publ . coaluisse : inter eosdem porro Polonos & Protestantes sic satis bene convenisse donec Jesuitarum magisterio in odium omnium dissidentium multi Polonorum incensi sunt . Non diffiteor , manente illo amarozelo , sinceram aliquam animorum unionem haud sperari poſſe . Potest vero & ille in concordiam paulatim temperari modo non uno , tantum si remoyeantur è medio illi incendiarij . Nec vero fortassis fiet hoc invitis multum Polonis ipsis : utpote quum jam ante hos quadraginta annos idem agitaverint procerum complures , quod libri tunc editi docent : & annui reditus habeant quidem illi magistri , plus quadringenti millibus , tanto sumptu tamen tamque insano , oratorem nullum . Historici Politici ne umbram quidem , Semitheologastros Scholasticos aliquos , Philosophums sesquialterum , qui non dicere ſed dictare tantum ſciat , habeant , quod ipsa Academia Cracoviensis illis publico libro exprobavit .

Sed non est quare nos , Nicanor , ea cura mordeat . Deus qui in uitata felicitate Suecorum arma hactenus fortunavit , Serenissimo Regi ejusque prudentissimo Senatu consilia componendæ reipublicæ non denegabit . Et vero quidni hodie prætent Sueones Gothique , quod olim

olim æterna cum nominis laude Westrogothi Ostrogothique in Italia Hispania & alibi præstiterunt? Imo quod Gothi quondam effecerunt in ipsis illis Polonici hodie Regni provincijs. Ex Iornande sane discimus, Gothos simul trans Vistulam migraverunt, gentem Spalorum (quæ est ipsa nostra Polonorum trans Vistulam tunc habitans) viætricibus armis superasse, & denique Hermannico Rege (quo tempore Gothi Russiam rubram, & Wallachiam incoluerunt,) omnes populos inter mare Balticum, Euxinum pontum & Danubium suo imperio subjecisse. Nec tamen est quare hisce antiquis exemplis optima quæque nunc sperare te jubeam, cum alia sint ad manum recentissima. Ego potius quoniam tuis dubitationibus, nisi fallor abunde satisfeci, & jam modum pene excessi epistolæ, tandem desino. Deum autem veneror, ut perget favere viætricibus incliti populi armis, nobisque Germanis integrum servet tranquillitatem. Vale, vi Kal. Novembr.

CIC CLV.

F I N I S.

— Arma ferenti  
Omnia dat qui iusta negat.




01 A 6565



VdA







Pag  
ilia  
Pag  
avic  
Pag  
tem  
rthi

Inches  
Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

### Farbkarte #13



3

CYRIACI THRASYMACHI  
**DE JUSTITIA ARMO-  
RVM SVECICORVM IN  
POLONOS**

Perque ea

Liberata à magno periculo  
Germania

AD

ANDREAM NICANOREM  
EPISTOLA.



EDITIO NOVA

Juxta exemplar Stetinense;

HELMESTADI

Excudebat HENNINGVS MULLERV

1519 C LVI.